



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob
[München], 1613

Annotatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

ANNOTATIO.

Recitant hanc Epist. integram Baronius Anno D C C. L X X. Et Centuriatores Cent. 3. cap. 10. quam dicunt, plenam esse pontificiis artibus. Sed num fraus vel techna dehortari Reges iam aliis desponsos, ne contra fidem datam alias uxores ducant? Hanc enim potissimum ob causam Stephanus tanta orationis vehementia hoc matrimonium cum Langobardorum gente dissuasit, ut liquet ex ipsa Epistola, & rectè etiam observavit Baronius. Quamvis Pontifex etiam alias huius coniugij dissuadendi causas habuerit.

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Dominum Carolum Regem, & eius præcellam genitricem directæ de Christophoro, & Sergio filio eius, qui cum Dodone, & cæteris Francis, Stephanum Papam, interficere conati sunt.

XLVI.

Huius Epistolæ Summarium recitant Baro. & Cent.

DOMNÆ religiosæ filiæ Bertradæ, Deo consecratæ, seu Domno excellentissimo filio Carolo Regi Francorum, & Patricio Romanorum Stephanus Papa. Cum magno dolore & gemitu cordis, tribulationis atque mortis periculum, quod nobis per sequaces diaboli, iam eveniebat, ecce subtilius per has nostras Apostolicas Syllabas à Deo consecratæ religiositatis vestræ, atque præcellentissimæ Christianitatis tuæ auribus intimare studemus, eo quod nefandissimus Christophorus, & Sergius nequissimus eius filius, consilium ineuntes cum Dodone, Misso germani tui Carlomanni Regis, nos interficere insidiabantur. Unde cum eodem Dodone, & eius Francis,